

huc referunt l. 4. §. 4. ff. de condict. ob turp. caus. ibi : Si tibi indicium dedero , ut fugitivam meum indices , vel furem reorum meorum , non poterit repeti , quod datum est , nec enim turpiter accepisti. Quam legem Gonzalez in cap. I. X. de Sor- tileg. n. 11. singulariter interpretatur , de indicio furis astrologico , quale olim frequenter per Astrolabium fieri solebat , & merito reprobatur , ac proinde putat , datum eo nomine ad indicandum furem , per talem artem illicitam non posse repeti , cum in pari causa possidentis conditio habeatur melior , & ita cesset conditio l. 3. ff. de his qu. not. infam. Verum haec opinio Gonzalez non erit per omnia admittenda. Ratio enim dubitandi , cur turpiter acceptum videatur , & inde dari debeat conditio , est non illa , quasi hic de illicita quadam arte Astrologica agatur ; siquidem d. l. indicium furis , cum servo fugitivo conjungitur. At vero tales servi fugitivi saepe latitabant penes hos vel illos , & sine scientia Astrologica , ex aliunde comparata notitia poterant indicari ; & ideo quoque non praecise textus de indicio furis per Astrolabium factus , intelligendus , cum & alia dentur furis latitantis indicia ; Verum ratio dubitandi , uti bene advertit Faber in Ration. Pand. ad h. l. est illa , quod qui aliquid accipit , ut faciat , quod gratis & ex sola honestate facere debebat , turpiter accipere intelligitur. Verum hoc non obstante contrarium deciditur , quia nulla necessitas quempiam cogit , ut delicta denunciaret , vel delinquentem , ob incertum probationis periculum , indicet. Et inde potius textum de licitis indicibus furem deprehendendi accipiendum esse arbitror ; prout etiam statuit Jul. Paulus Lib. II. Recept. sentent. tit. 31. ibi : Ob indicium comprehendendi furis proemium promissum jure debetur. Et discrete se ipsum explicat Ulpianus in l. solent. 15. ff. de praescript. verb. ubi dicit : Solent , qui noverunt servos fugitivos alicubi celari , indicare eos dominis